

No. 22. 1275. 1. Mai.

Markgraf Dietrich von Landsberg eignet vier Hufen in Dobeschitz, welche das Kloster von den Söhnen Albrechts des vormaligen Schultheisen in Leipzig erkaufte hat.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Theodericus dei gratia marchio de Landesbere omnibus Christifidelibus in perpetuum. Ne statuta principum devotorum temporum vetustate vel oblivionis rubigine denigrentur, scriptis sunt attentissime commendanda et ad exemplum devotionis posteris relinquenda. Inde est quod ad notitiam omnium Christi fidelium tam praesentis temporis quam futuri volumus devenire, quod conventus sancti Thomae apostoli in Lipzk emit bona sita in Dobeschitz^{a)}) quatuor videlicet mansos cum omnibus attinentibus pro centum et quatuor marcis argenti iuste et rationabiliter a filiis Alberti quondam sculteti in Lipzk scilicet Heinrico, Theoderico, Alberto et Hermanno. Nos igitur ad precum instantiam praedicti conventus et pro remedio animae nostrae praefata bona scilicet in Dobeschitz tam in agris quam in molendinis et piscationibus, pratis quoque et nemore et omni proventu post liberam et voluntariam resignationem praedictorum quatuor heredum et aliorum coheredum nec non et omnium ad quos praedicta pertinebat hereditas contulimus iam dictae ecclesiae beati Thomae apostoli in Lipzk quiete et libere titulo proprietatis in perpetuum possidenda. Praedictus vero conventus canonicorum regularium in Lipzk in maiorem notitiam praemissorum et ut nostra donatio firmior haberetur dedit nobis XXⁱ marcas argenti, quas liberaliter acceptavimus ab eisdem. Ut autem huius facti tam rationabilis ordinatio perpetuo maneat inconvulsa, hanc paginam conscribi et sigilli nostri fecimus impressione muniri. Testes quoque, qui praesenti negotio interfuerunt, iussimus hic subscribi: Geuehardus de Querenwırte, Wignandus de Herstein, Heinricus de Trebezin, Albertus de Valva, Boto de Turgowe, Heinricus de Regensbere, Conradus de Luppe, Conradus de Cygerowe, Heinricus dapifer de Burnis, Godescalcus de Hogeniste, Sifridus dictus Wilde, Conradus Cesar, Theodericus et Conradus notarii, Heinricus de Novo foro civis in Lipzk et alii quam plures. Acta sunt haec in civitate Lipzicensi in ecclesia beati Thomae apostoli ibidem anno ab incarnatione domini M.^o CC.^o LXXV.^o Kalendis Maii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Reitersiegel an gelbseidenen Fäden.

a) Bei der Aufhebung des Klosters war von diesem mit Connewitz gränzenden Dorfe nur noch die Mühle vorhanden, welche dem Kloster 1 Schock 12 Groschen und 32 Scheffel Getreide zinste; h. z. T. wird dieselbe zu Connewitz gerechnet.

No. 23. 1276. 31. Jan.

B. Friedrich von Mersburg überträgt an das Kloster das Eigenthum an vier in Dobeschitz erkaufte Hufen, nachdem dieselben von den Verkäufern an den Markgrafen, von diesem an den Bischof aufgelassen worden sind.

Fridericus dei gratia Mersburgensis episcopus universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Quoniam ea quae fiunt sub